



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 9. Confessarijs, cum pœnitentibus, paternè agendum esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

§. IX.

*Confessarijs cum confitentibus paternè
agendum esse.*

Sed neq; Confessarios non compellat vtraque hæc historia, monétque, vt se Patres esse, aut paternos iudices oportere, meminerint. Si Dei vices agunt, Dei clementiam imitentur, neque sint in homines, homines ipsi, Conditore suo, immitiores. Sciant se quoq; iudicandos. Qualem ergo ipsi cupiunt habere iudicem Deum, tales & ipsi se se iudices exhibeant. Quid medicus prodest, qui vulnera non sanat, sed exasperat? & piagas detegenti plagas accumulatur? Itaque qui paternè vult agere cum poenitente, contritionem eliciat, non indignationem: in ipem peccatorem erigat, non conijciat in desperationis abyssum. Etsi enim nonnullis in saxum induratis malleo opus, est, vt conterantur; cum quibus si leniter agas, laudare eos videberis, & in peccatis confirmare; qui vtique fortiter tangendi sunt, vt, per callum, dolorem persentiscant: sunt tamen alij, qui acri monitione penitus franguntur, quos quocumque flectas, si diuini amoris ac misericordiæ adhibeas suauitatem. His & concionator, & confessarius Deum iustum quidem,

quidem, sed, in hac vita maximè, clementem ante oculos ponat; illum nempe Deum, qui *vocat auersos, donat peccata conuersis. patiens est super peccatores, donec conuertantur.*

Quandocunque conuersi fuerint: præterita obliuiscitur, futura promittit. Hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adiuvat dimicantes, neminem deserit laborantem & exclamantem ad se: donat unde sibi sacrificetur, ipse tribuit, unde placetur. Hoc magnum misericordie tempus, non nos transeat. Venturum est enim iudicium. Et tunc erit pœnitentia, sed infructuosa. Huiusmodi conciones, hamus sunt, quo trahuntur etiam in magno peccatorum pelago natantes: prunæ sunt, quibus bona indoles liquefcit: flammæ sunt, quibus etiam frigida corda incenduntur.

X.

Mundum beneficijs diuinis plenum ad gratiarum nos actionem vocare.

Quis beneficium nouit, & non amat? Quidquid huc vsq; laboratum est, laboratû est, vt Deum bonum, justû, misericordem, facientem omnibus bene, nosceremus. Vel Seneca hunc ex hac notitia fructum agnouit: nam contra Epicurum disputans, qui Deum non esse de nobis sollicitum, nec conferre nobis

Et vlla

S. Augu-
stin. in
Psal. 32.
serm. 1.